



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Vel novus homo Christus, veteris nostri hominis est ruina: vel vetus noster
homo ruina est nascentis hominis. Alteruter alterius est ruina.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

SI fortè, in triduum fequens, inciderit Dominica quæ est infra octavam Nativitatis Domini, vide infra, die nonâ Januarii: Et in die Purificationis B. Virginis, ad verba Simeonis, Tuam ipfius animam pertransibit gladius. Aut etiam formari potest.

AD HÆC EIVSDEM VERBA:

Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. Luc. 2.

VERITAS PRACTICA.

Vel novus homo Christus, veteris nostri hominis est ruina: vel vetus noster homo ruina est novi nascentis hominis: Alteruter alterius est ruina.

RATIO EST, Quia quando duo simul juncti sibi contradicunt; alteruter alterius est ruina.

Sed novus & vetus homo, simul juncti sibi contradicunt.

Ergo alteruter alterius est ruina.

PRIMA propositio jam apertè patet ex iis quæ dicta sunt in die Natalis Domini.

SECUNDA sic facilè persuadetur;

Nam vivere secundum carnem, sive secundum naturales sensitivi appetitus inclinationes: & non ita vivere, sunt omnino contradictoria; Nihil est autem vetus & novus homo, quàm vita secundum, & non secundum carnem, ut expressè habet Apostolus, locis hinc notatis, ac proinde sibi omnino contradicunt.

*Gal. 5.
Eph. 4.
Coloss. 3.*

UNDE tandem manifesta hæc apparet veritas, *Quod alter alterius est ruina.* Et sic dicitur Apostolus: *Destruatur*, inquit, *corpus peccati*, id est, moles illa peccatorum quæ à veteri procedit homine; neque est opus longiore discursu ad veritatis probationem, sed ad praxim affectum, hinc etiam atque etiam, promovenda est voluntas. Nam sicut alteruter necessariò debet in nobis vivere, prout nobis placuerit, ita planè videndum est cujusnam ruina

Rom. 6.

nobis magis placeat. Velles si posses utrumque concordare & servare, sed non potes; aut alterum necessariò retineas, & alterum pellas. Times fortè ruinam veteris hominis, times privationem voluptatis, ambitionis, libertatis, & reliquæ concupiscentiæ, times destructionē illius corporis peccati, quam sequi necesse est, novo se in nobis ædificante homine.

At vide quænam sit major ruina, si ne percat vetus homo, novum perdis: sic enim perdis Christum, perdis cælum, perdis pacem, perdis teipsum, quâ tui parte tibi esse debes carior. Confer utramque simul ruinam & jacturam. Ruina veteris hominis est ruina vanæ gloriæ, ruina novi hominis est ruina divinæ gloriæ. Ruina veteris est destructio cogitationum carnis; at ruina novi est destructio cogitationum & consiliorum Dei. Ruina veteris est restrictio risus inanis, & moderatio lætitiæ sensibilis; ruina novi est privatio solidæ & divinæ consolationis. Ruina veteris est, humanæ contemptus gratiæ; ruina novi est divinæ gratiæ cœlestiumque simul omnium jactura bonorum & beatitudinum. Sic perge in aliis utriusque hominis antithetis bonis & malis: & suppositâ necessitate alterutrum eligendi, vide ex duobus bonis quodnam melius: Vide ex duobus malis quodnam deterius. *Quæ societas luci ad tenebras? quæ consensio Christi ad Belial? Non tibi vita tollitur, non gloria, non lætitia, sed in melius mutatur. Non est perdere, minus pro majori dare. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscetes vos habere meliorem & maiorem substantiam.*

2. Cor. 6.

Hebr. 10.

TRI-